



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi  
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot  
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

**Bona, Giovanni**

**Antverpiae, 1677**

§. 1. De tribus generibus Christianorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10805**

P R I N C I P I A,  
 ET  
 D O C U M E N T A  
 VITÆ CHRISTIANÆ.  
 P A R S I.  
 De Vita Christiana, ejusque fine, & officiis.

## S. I.

*De tribus generibus Christianorum.*

**C**um omnem Christianorum multitudinem in Catholica Ecclesia viventium, eorumque mores & instituta veluti è specula prospicio, tria quasi eorum genera mihi videor deprehendisse. Unum est eorum, qui Christi doctrinam, & exempla in spiritu & veritate sectantes se re & nomine Christianos esse perpetuâ & exactissimâ Evangelicæ perfectionis exercitatione ostendunt: Deo enim fervientes, & in lege ejus die ac nocte meditantes carnem suam cum desideriis, & concupiscentiis crucifigunt, nullis adversitatibus victi, nullis prosperitatibus depravati. In hoc autem genere nonnulli eminent, quorum virtutes ultra humanam conditionem asturgunt. Servant siquidem continentiam usque ad tenuissimum victum & perpetuum jejunium: puritatem custodiunt usque ad cujuscumque etiam licitæ delectationis contemptum: patientiam exercent usque ad cruces & flammæ: seipsum abnegant usque ad omnimodam abjectionem, & odium sui: divitias spernunt usque ad patrimonia distributa pauperibus: Deum diligunt usque ad supremum gradum, qui in hac vita haberi potest: omnes denique virtutes in gradu heroico possident, ita ut mirentur cæteri, qui eos vident, & fateantur imbecillitatem suam, quia ad tantam perfectionem pervenire non possunt. Sed horum numerus ad paucissimos redigitur, & vulgò ignotos, qui sibi, ac mundo mortui, & crucifixi vitam degunt absconditam cum Christo in Deo.

Alterum illos complectitur, qui orthodoxæ fidei professione contenti his rebus dumtaxat, quæ foris apparent, Christiani hominis officia contineri arbitrantur; timentes quidem Deum, sed & idolis suis servientes. Ad Sacramenta frequenter accedunt, sed tantâ animi remissione & socordiâ, ut ex frequentia nihil proficiant; à gravioribus peccatis abstinere satagunt, leviora negligunt: exteriores Religionis actus non omitunt; sed terrenis affectibus immerfi, sibi que semper & propriis commodis addicti, quid sit vita interior, quid perfectio Christiana, quid ascensus mentis in Deum, quid abnegatio rerumque omnium abdicatio, sine qua neminem posse suum esse discipulum toties Christus docuit, aut prorsus ignorant, aut discere nolunt: & si quis eis sanctioris vitæ documenta proponat, illa ad Monachos, & ad Anachoretas ablegant stulto & lachrimabili errore decepti.

Tertium genus illos omnes comprehendit, qui ideo Christiani dicuntur, quia à Christianis parentibus orti, & aquâ baptismatis regenerati inter Christianos commorantur: moribus autem deteriores sunt infidelibus, improbi, sceleribus pleni, abominabiles, quorum immensa multitudo est.

## S. II.

*Tertium genus Christianorum describitur.*

**H**I sunt qui ore Deum fateantur, factis negant: corpus enim suum ejusque commoda nimis amantes, & sæculi legibus pertinaciter adhærentes contra Evangelicam veritatem ita se obdurant, ut se esse Christianos penè erubescant.

Foyent